



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

Reverendissimis, item perillustribus, Admondum Reverendis Eximius,
Clarißimis Doctiß. Dominis ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

Reverendisssimis, item perillustribus, Admodum

*Reverendisssimus, Clarissimus Doctiss.
Dominus.*

D. GEORGIO PAULO STRAUHO EPISCOPO JOPPENSIS, SUP-
FRAG. ET VIC. GEN. COLON. &c.
D. IOANNI TYTZ SS. THEOL. DOCTORI &c.
D. ALBERTO RENSING. I. V. D. ET OFFICIALI CUR. CO-
LON. &c.
D. ADRIANO DE WALENBURG LICENT. &c.
D. LAURENTIO PELLIONIS DOCTORI &c.
D. MARTINO AB ACH DOCTORI &c.
D. PAULO AUSEMIO LICENT. ET AD S. CUNIBERTI DE-
CANO. &c.

Totique Clero eiusdem Ecclesie Metropolitanae Dominis ac Colle-
gis Colendissimis ac dilectissimis salutem ac prosperitatem.



Pportunè euenit, Serenissime, Ex-
cellentissime, Illustrissimi, Reveren-
dissimi &c. Domini mei gratiosissi-
mi &c. quod eodem tempore, quo
ego Aulam IV. Passionis Domini
N. Secundum Ioannem perficio, Excellentissi-
mus Dominus Noster Decanus, post alia Pala-
tia, ad honorem Dei & Ecclesie vtilitatem con-
structa, etiam Decanalem Aulam Metropolita-
nae nostrae Colon. Ecclesie, insigni cultu &
sumptu, instauret erigatque, ad visendam ac lau-
dandam à posteris gloriam. Cum igitur ego o-
pellam illam meam in hac ipsa Decanali curia

maxi-

maxima parte elaborauerim, post Pastorale Of-
ficiū, ac curam in aliam translata cogitanti
cui & quibus eandem IV. Aulam post Primam
Deo secundam Eminentissimo Electori & ter-
tiam Serenis. Præposito oblatam potissimum
dedicarem, non poterant sanè occurrere alijs,
quam hi, quos modo reuerendissime compel-
laui. Vtpote in quorum Collegio, Societateque
ac conuictu mihi sub manibus sensim est nata
pijssima illa opera, etsi forte ingenio multorum
non sit æquata certe Domini, pro nobis passi,
dignitate multo est inferior.

Facio igitur hoc, quod aliter vt faciam, indu-
ci nequeo, & Illustrissimæ Gratiæ T. Excellen-
tissime Domine, Decane, altè memorate, opus-
culum meum inscribo, & quoniam *NON TRIBU-
SED CUNCTIS STUDES PRODESSE*, etiam collegis,
quos in Societatem honoris libentissime admit-
tis, eandem opellam meam addico.

Causas cur ita faciam, facile peruidet Excel-
lentissima Gratia Tua, quæ etiam Totius Archi-
Diocæsis negotia cuncta, cum Serenissimo Ele-
ctore Nostro adeo peruidet, vt non facile in ea
prouidentia sit parem optare, nedum nomina-

te. Et si quidem nulla alia causa esset, ea certe sufficientissima poterat videri, quod me *SANTIOREM* inter Collegas, decet utilia & sapientia his, qui minores sunt vel in ætate vel in collegij societate, ministrare, & si possibile sit, exemplo sacro antecire. Ut igitur horum alterutrum saltem, ante meum hinc discessum, haud dubie imminentem, præstarem, præstantissimæ doctrinæ & exempli perfectissimi Magistrum Iesum Christum D. N. maxime in passione sua vegetum, substituendum assumpsi: cuius passio quanta sit Virtutis, quanti meriti, plenissimè loquuntur libri, plenissime sapientiam voces explanant, ita ut prolixius hoc dici sit supervacaneum & pene otiosum nisi semper esset Deo gloriosum.

Cur verò in Tuæ Excellentiæ personam potissimum intendam forte magis intererit dici. Video namque T. Illustrissimam ac Reverendissimam Excellentiam ex Bavaricæ Austriacæque Domus consortio ac pietate concepisse flammam zeli sacri, intendentis assidue in honorem Dei & utilitatem Ecclesiæ promovendam, & alios Tuæ ac Serenissimi Principis Nostri Electoris Colon. exemplo, mirifice ad eadem studia commoveri; & incitari. Videbar igitur insigne opellæ meæ pretium facturum si ad hoc commune decus, meam quoque quantumcunque tenuem operam conferrem, incentiuo maximo pietatis facti in legentium cordibus tanto, quantum subministrat passio Domini, maxime à S. Ioanne Euangelista, qui super pectus Domini recubuit in coena, & flammis Charitatis de eodem pectore fuit ignitus, descripta. Redit hic iterum oratio & mens in vberitatem & vim Dominicæ Passionis, sed iterum ab ea retraho calamum & ad causas meas reduco.

Accedit igitur ad priorem rationem consilij mei isthæc altera, quod iam septuagesimum ætatis annum non longe à limine ætatis meæ prospiciens forte aliam commodiorem, meos in officio collegas alloquendi non habebō potestatem, imminente mihi mortis, quod scriptum est contra omnes Filios Adam, Decreto. Idcirco cum pia Bethaniensi muliere præuenio ungere corpus Domini, & interprete Mellifluo Doctore Bernardo, Homini-

minibus cunctis, meis in Christo fratribus, præbeo Alabastrum pretiosi unguentum exhortationis & sacrae doctrinae, quo possunt, si velint, muniri contra corruptionem, imò aliorum spiritualiter mortuorum mentes ungeri ne fereant, donec eas Dominus vitæ, vitæ restituat.

Edendo itaque Dominicam Passionem propono opus pigmentarii, pretiosorumque aromatum, quibus condiam, non corpora, uti Mumia illa Aegyptiaca condita comperiuntur, sed animæ capaces vitæ aeternæ à peccati & aeternæ mortis corruptione seruentur illasæ. Ita enim decet me, qui & sacerdos sum, & pastoris munere diutius perfunctus fui, & in concilium sacrum regendæ Archidiocesis iam pridem assumptus sum,

Satis iam dedi causarum pro meo instituto superest, ut maximis pro Rep. & Ecclesia curis intentos Dominos & collegas meos longo sermone non morer, sed intimo cordis affectu & oris mihi ignata hilaritate precer, ut si hic, Deo ordinante, sermo meus postremus, ex typo prodiens vel renascens labor, ille tanquam ultimus inter fratres suos Beniaminus sit Castissimi Iosephi æmulatoribus carus. In quo typis votum animi mei depingo æternum valiturum, nimirum, ut vobis, & his, qui mea scripta, sibi dicata, benigne excipere & legere fuerint dignati, omnis prosperitas huius atque aeternæ vitæ lucreseat, & ego in pace dormiam ac requiescam. Quod si tantum vitæ Dominus addiderit, ut etiam Medulla, ex quatuor hisce commentariis excerpta, Germanico idiomate vestita, producarur in lucem, quod ut omnibus prosum intendo, quid eo tempore Dominus daturus sit animo meo, ipse à quo omnia sunt bona, prouidebit. Prouideat Tuæ Excellentissimæ Gratia & Vobis, ceteri Illustissimi ac Reverendissimi, Perillustres ac Reverendissimi & Adm. Rever. Prænobiles Domini mei Collegæ, ex voto meo optimo, piissimus cæli Terræque moderator Coloniae Anno 1658, D. Matth. Apostoli Festo Vestrum omnium seruus in Christo sum & amicus.

GEORGIUS AB EYSCHEN Senior Capitularis
Presbyter Canonicus Metrop. Coloniae